

Q. D. B. V.

99
XIII.
523
M

De

EXTREMA

17
19

PROVOCATIONE,

Athènis Leucoreis,

Sub Præsidio

VIRI

Plurimum Reverendi, Amplissimi atq; Excellentissimi,

DN. MICHAELIS WENDELERI,

SS. Theolog. Doctoris, ejusdemq; Professoris

Publici Extra-ordinarii, & Philosophiæ Pra-

ctica Ordinariiceleberrimi, Præceptoris atq;

Patroni suidebitâ observantiâ prosequendi,

publicè respondet


AUGUSTUS Becker/

Stolpensis,

AUTOR

Ad diem 25. Januarij.

In Audit. Majori, hor. matut. cl. Is. C. LXII.



Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typographi.



VIRIS
NOBILISS. AMPLISS. CONSULTISS.
PRÆCLARISSIMIS,
DN. CHRISTIANO BREHMIO,
Sereniss. Elector. Saxon. Consiliario Eminentis-
simo, Bibliothecæ Electoralis Inspectori lau-
datissimo, ut & Reipubl. Dresdensis incluzæ Consuli
gravissimo, Patrono atq; Affini suo maximo-
pere devenerando:

DN. SEBASTIANO Gotten/
Sereniss. Elect. Saxon. à Secretis Camerae Spe-
ctatissimo, Avunculo suo & Studiorum Promo-
tori, eà, quâ par est, observantiâ ætatem
prosequendo:


DN. ANDREÆ Beckern/
Sereniss. Elect. Saxon. Quæsturæ Stolpensis
Præfecto dignissimo, Parenti optimè de se merito
semperqve piè colendo:

DN. CASPARI Gotten/
Sereniss. Elect. Saxon. in Quæsturâ itidem Stolpensi
Rationum Administratori fidelissimo, Avunculo &
Fautori suo debito amoris cultu honorando:

*Exercitationem hanc Politicam ad
animi submissionem significandam & Stu-
diorum commissionem contestandam*


Dat, Dicat, Consecrat

AUTORE & RESPONDENS.



I. N. J.

PRÆFAMEN.



Uter præcipua jura, quibus suprema in Republ. pollet potestas, nomen profitetur *Extrema Provo-*
catio, à *Bodino* quidem *l. 1. de Republ.*
c. 10. secundum Heigium, quest. 4. n. 33. negata,
 Principi tamen ante omnia asserenda; quod
 in hac jurisdictionis, quæ non fuit tantum à
 Majestate per concessionem, sed etiam ad ean-
 dem refluit, veluti flumina ad mare, funda-
 mentum contineatur, & infallibile documen-
 tum sit summæ potestatis. Nempe subleva-
 tur aliquo modo Majestas ministerio judi-
 cum, cum omnibus controversiis ne utiquam
 sufficiat; sed nec supersedere potest omnino
 jurisdictione, quin subinde cogatur jus dice-
 re, quoties ab inferioribus Magistratibus ad
 Principem proclamant litigantes. Rapit enim
 aliquando partium studium atq; affectus in

A 2

trans-



transversum iudices, ne semper ex æquo & bo-
no decidant controversias. Ipsarū quoq; cau-
sarum intricata difficultas plerumq; obstat, ne
verum omni ex parte possint deprehendere.
Devolvitur itaq; ad Principē onus, qui incor-
ruptus iudex est, & augustiori iudicio, quæ la-
tebat, rei bonitatem vestigat & capit. Ita ipsa
necessitas subditos de Extrema Provocatione
admonet, & ut eandem recipiat imperans, ipsa
Majestas jubet. Sanè non alia res splendido-
rem confert auctoritatem, quàm jurisdictio
hæc summa & decretoria. De hæc intimiùs
aliquantum dispicere, nunc impræsentiarum
allubeſcit animo. Iccirco ut Auspice & Du-
ce CHRISTO fiat; incipit.

THESIS I.

Extrema^(a) Provocatio^(b) est
jus Majestaticum, ^(c) quo liti-
gantis à sententiâ inferioris judi-
cis, ad eos, qui summam habent
potestatē, appellatio recipitur.^(d)

(a) Non

525

(a) Non multum immorabimur in Extremæ Provocationis Etymo, quoniam hujus acceptio per se radiat. Breviter saltem notamus, *extremum* hic idem esse, quod *ultimum*, ultra quod scilicet non datur progressus. Ita enim isthoc vocabulum passim apud autores usu venire solet. Sic enim *Horatius extremos* Indos vocat, ultra quos nulli alii aut habitant, aut cogniti sunt populi.

(b) Provocandi vocabulum vulgato more idem est, quod evocare, vel etiam proritare. Sic, qui alteri duellum offert, eum provocare & evocare dicitur. Nobis hic provocare est, superiorem judicem adire, aut ad eum appellare, vel auxilium ejus implorare. Quò pertinet, quòd provocare & appellare promiscuè ab autoribus sumantur. Nam & provocare ad populum, & appellare populum, vel tribunos, dicit *Livius lib. 3. ibi: At tamen & Tribunos appellavit & nullo morante arreptus à Viatore, provoco, inquit.*

(c) Nos itaq; hanc in parte minimè ad stipulamur *Arnisæo*, qui hanc nostram provocationem per suspensionem definit. Putamus enim virum hunc laudatum potius effectum respexisse, eumq; pro causa posuisse. Extremæ enim provocationis effectus est, ut sententiæ ab inferiori judice latæ executio tam diu suspendatur, donec suprema potestas de ejus vel justitiâ, vel injustitiâ pronunciaverit, eamq; vel confirmaverit, vel annihilaverit. Effectus autem & causa loco generis nunquã stare possunt. Dicimus ergò, genus provocationis extremæ proximū esse jus Majestaticum, quod habet summa LLatoria potestas. Aliàs enim Majestas non foret summa potestas, sed Magistratus, à cujus sententiâ ad superiorem judicem daretur appellatio. Tàm arctè autem Majestati hoc jus asserere dicitur, ut nullo modo, illâ salvâ & incolumi, possit separari. Rationem reddit *Didacus Covar-*

226
rudias, quod suprema illa jurisdictio sit forma & substantia-
lis essentia Majestatis regiae. Et admodum scitè *Arnisaus*
lib. 2. de Jur. Majest. c. 4. n. 5. peccare in Majestatem putat, qui-
cunq; provocationem ad alium transmittit, & à se planè
abdicat, cujus provocationem, inquit, ubi non retines, ejus
ne superioritatem quidem habes, quam abdicare salvo im-
perii jure, Princeps non potest. Conjunctim insuper, debet
haberi Majestas, i. e. ut omnia jura adsint, nec ullù desit. Quo
sensu dicitur in indivisibili consistere Majestatem, quòd
non liceat decerpere aliquod jus proprium & essentiale, nisi
destructum velimus integrum. Interim de alienatione
nobis sermo est. Aliàs notum, quòd constitui quoq; pos-
sint Magistratus, qui appellationes recipiant non in Prin-
cipis, & hujus quoq; auctoritate componant lites. Omni-
bus quippe non sufficit officiis in civitate obeundis, quam-
vis imperare possit omnibus, non omnia potest tamen exe-
qui. Communicat igitur aliquid ministris, & quandam
potestatis particulam transfert in suos, quòd possint pro-
vocantibus ad ejus tribunal subvenire. Ita novimus, sum-
ma constituta huic fini esse collegia atq; judicia. Sed tùm
mandatur potius exercitium & usus, ipsum jus, ipsa posse-
sio hujus eminentiæ penes Principem remanet. Tùm
non tollitur jus aut extingvitur, sed alteri communicatur.
Quare transferri poterit forsàn exercitium illius juris, non
verò ipsum jus annihilari.

(d) Differentia à Causis desumpta subsequitur. In Ana-
lysi autem Causarum, circa Extremam Provocationem con-
currentium, habenda est ratio (1) *Persona, quæ instituit Provo-*
cationem, (2) *Persona, quæ illam recipit,* (3) *Objecti, circa quod*
Provocatio versatur, (4) *Forma, quomodo debeat rite recteq;*
hec institui, & (5) deniq; *Finis, cur Provocatio suscipiatur.* De
quibus singulis thes. seqq. ordine agemus. THES-

526
THESIS II.

Persona, quæ Extremam Provocationem ordinat & instituit, est Pars litigans, quæ apud inferiorem judicem causâ cecidit, & propterea ad superiorem, tanquam incorruptum & supremum judicem provocat.

Namq; ne per gratiam aut odium justâ suâ causâ quispiam cadere possit, institutum est, ut provocare liceret. Hinc etiam hoc provocationis remedium à *Jcto Jun. Curt.* vocatur Antidotum contra venenatas sententias. Et propterea illud à *Baldo* comparatur Theriacæ. Cùm autem nemo sit tam æquus rerum arbiter, quin suæ causæ faveat, atq; adeò iniquè secum actum existimet, quandocunq; causâ cadit, nequaquam omnibus & singulis provocatio extrema concessa est; præsertim, qui in re clarissimâ & propriâ confessione, vel plurium testimonio, aut aliis rationibus manifestè comprobata, provocare vellet, hic sanè audiri non solet, sed potiùs, multâ insuper impositâ, temeritatem luit. Causæ siquidem provocationis debent esse arduæ; magnæ autem & arduæ causæ magnos desiderant & graves judices. Hinc notandum, quòd in Criminalibus, quando poena corporalis est infligenda, & ubi reus confessus & convictus

victus est, non admittatur provocatio, ne scil. executio iustitiae hoc pacto impediatur, & semper prorogandae vitae causa, per oppositionem vanissimarum exceptionum processus inhibeatur: ut est in *ord. Cameral. P. 2. tit. 28. Möller. l. 4. Semestr. c. 33. n. 7.*

THESIS III.

Quem penes autem est in Republ. summa potestas, illius est Extremam Provocationem recipere. Itaque in Monarchiâ provocatur ad Regem: ^(a) In Aristocratiâ ad Optimates: ^(b) In Democratiâ ad populum: ^(c) In Republ. mixtâ poterit aut Principi, aut Optimatibus, aut populo seorsim, rursusq; aut Principi & Optimatibus, aut Principi & populo, aut Optimatibus & po-

527

tibus & populo conjunctim extrema provocatio per ejus Reipubl. leges fundamentales transcribi.

(a) Quia nimirum summa potestas in Monarchiâ seu regno est penes regem, ideò & in regno ad Regem provocatio spectabit. Parum autem refert, sive expediatur illa immediatè, & per eam Personam, quæ Majestatem obtinet, sive mediatè, mediante aliquo Magistratu, cui potestas hæc delegata est. Nihil enim impedit, quò minus Rex vices suas demandare uni alicui pluribusq; queat, qui primam instantiam ultimò decidant, ita ut appellari ab eorum decreto non liceat, non propriâ tamen, sed alienâ & commodatâ auctoritate. Tum enim unâ cum precariâ jurisdictione appellationis effectus videtur inclusus. Ceterùm, quanquam ejusmodi judicia novimus constituta, à quibus provocare non licet: non omninò tamen ad superiorem tolli potest appellatio, sed eadem jam sub revisionis, jam supplicationis, modò alio titulo ad primarium subjectum recipiendæ potestatis defertur. Ab hujus sententiâ provocare utiq; non licebit: nam superiorem non habet. *Sanè stultum existimat Ulpianus l. 1. §. 1. ff. à quibus appellare non licet, id admonere à Principe appellare fas non esse: cum ipse sit, qui provocatur.* Et appellatio fit à minore ad majorem. Principe autem superiorem non recognoscente, nullus major est, nisi Deus, à quo ipsi concessum est imperium. Majestatis itaq; reus censendus erit,

B

qui

qvitalem provocationem finxerit. Certè *Conradus Romanorum Rex Trajectenses perduellionis reos postulavit, quod ad Pontificem provocassent.* Quod testatur *Otto Frisingensis de rebus gestis Friderici.* Nisi à Majestate ad Majestatem ipsam aliquis putet provocandum, à malè scil. informatà ad melius informandam, exemplo petito *ex l. i. pr. §. quid ergò est ff.* Quando appellandum sit, & intra quæ tempora. Et aliàs notabile cum primis est exemplum, quod in vità *Philippi Regis Macedonum Plutarchus refert, qui cum Machatam conventum in quandam summam immerenter condemnasset, Appello, inquit Machatas. Philippus aliquantulum commotus, cum inauditum esset, à Principe appellare, ad quæ appellas? ad te, inquit, rogans, ut merita causa exactius discutias.* Quo factò, cum vidisset, Machatam non jure damnatum, verecundia sua simul & justitia satisfacturus, sententiam quidem juxta Plutarchum, non rescidit, sed quanti condemnatus erat, ipse ex suo exsolvit. Plura exempla cumulavit *Dan. Otto. J. P. c. ii.* Ejusmodi interim provocatio non verè proprièq; potest dici appellatio, quia ab uno ad eundem appellatio non admittitur, sed fit per viam regressus & supplicationis, dum scil. ipsius Majestatis benignitatem imploramus, ut attentius velit pleniusq; cognoscere, qualisnam contrà sub- & obreptionis exceptio Principis ab unà parte saltem appellati rescripto opponatur, quâ ratione non tam à Principe, quam à referentis adversarii calliditate provocatur.

(b) In Aristocratià quoniam ad optimates provocetur, nullum dubium residet.

(c) In Democratia ad populum provocatur, uti testatur *Aristot. lib. 4. Pol. c. 4.* inquit: *In Democratia, qui de Magistratibus conqveruntur, ad plebis judicium omnia referunt, populus autem libenter audit eorum*
provo-

229

provocationes. Similiter cap. 14.: In statibus popularibus Magistratus absolvendi quidem habent potestatem, sed non condemnandi: semper enim ad populum recursus habetur. Atque adeo in Romanâ Republ. ad populum & Tribunos plebis, populum representantes, fuit provocatum. Quid de Dictatore statuendum, qui Magistratus absq; provocatione creatus à Livio lib. 3. c. 20. salutatur, paucis aperiendum. An nempe à Dictatore Romano ad populum provocari potuerit? Rationem dubitandi præbet Livius in lib. 3. c. 55, ubi lege cautum invenitur, ne quis ullum Magistratum absq; provocatione crearet, qui creâset, eum jus fasq; esset occidi, neq; ea cædes capitalis noxæ haberetur. Quem Livianum locum putamus loqui de ordinariis & perpetuis, non vero de extraordinariis & temporariis Magistratibus, quales Dictatores fuere. Qui, quamvis ad præstitutum tempus imperârunt, tamen exercuerunt omnia jura sine intercessione alterius. Habebant quippe in Civitate summam potestatem; habebant ergo Majestatem; habebant ergo & extremam provocationem. Adeoq; ab iis, imprimis optimâ lege creatis, provocare minimè licuit. Quare & Livius lib. 6. Dictatoris edictum pro Numine servatum testatur. Bodinus equidem lib. 1. de Republ. c. 8. conatur affingere aliquod exemplum, Fabii nempe Ruuliani, de quo & Livius meminit in lib. 8. c. 35. qui per provocationem judicio liberatus supplicium evasit. Sed falsò: Nam etsi provocatum fuisse non negemus, jure tamen id factum neq; Livius, neq; alius quispiam evincet. Quid? quod potius illa verba in cap. 35. lib. 8. Liv. ostendunt, precibus populi donatum fuisse Fabium, atq; ita adhuc Dictatoriam auctoritatem in Republ. sartam atq; tectam conservatam fuisse. Non audimus insuper Bodinum, qui perpetuitatem ad naturam Majestatis refert, & ideo

& ideò Magistratus tantùm appellat & administratores, seu Curatores, quos nostri Commisarios vocant, qui temporario imperio, ut Dictatores Romani, gaudent.

THESIS IV.

In hodierno nostro imperio jure Extremæ Provocationis gaudent Imperator, ^(a) Rex Romanorum, ^(b) Vicarii imperii, ^(c) olim quid em omnes Electores, ^(d) at in præfenti saltem Elector Saxonix, ^(e) & Elector Brandenburgicus. ^(f)

^(a) Is enim superiorem, præter Deum, non agnoscit. Ad hoc summum, ubi pervenerint provocantes, cum altius assurgere non possint, suas ibi lites ultimato definiri sciunt. Quamvis alii ad senatum imperii, atq; ad Electorem Palatinum appellare quondam voluerint, nunquam tamen ejusmodi appellationem receptam fuisse, nec recipi posse, tradit Reinking de Regim. Secular. & Eccles. lib. 2. Clas. 5. c. 9. n. 37. Ab Imperatore interim malè informato & instructo ad melius informandum & instruendum, appellatum fuisse, recenset Magnif. Dn. Carpzov. exemplo ex Bodino lib. 1. c. 10. desumpto. Quam tamen, appellationem prælaudatus Vir vocat irregularem

gularum. Inde non potest firmo talo subsistere illa fastuosa traditio Pontificiorum, qui ab Imperatore ad Papam appellari posse, & præcipue debere, asserere non erubescunt, & dicunt, illud posse fieri, si imperium vacaret. Sed quid amplius? Quando enim, quæso, vacare contingit imperium nostrum, respectu Papæ, quod ab eo appellari possit? Nunquam sanè, sed statim, cum Imperator mortuus, suos assignatos Vicarios EE., Palatinum & Saxonem habet, qui tempore Vicariatus judicia exercent; si vel maximè etiam causa Imperatoris sit propria, non tamen potest appellari ab Imperatore ad Papam, quamvis & in hac suâ & suorum causâ Imperator decidere, vel pronunciare possit: Est enim hoc Principis privilegium palmarium, ut sibi ipsi iudex sedeat: tamen etiam in causa Imperatoris propriâ iudicem, coram quo conveniatur, peculiarem habet, nimirum Electorem Palatinum, *A.B. Tit. 5. §. fin. & Schwabenspiegel lib. 1. c. 20. §. 4. l. 2. c. 43. §. 6.* ubi ita: *der Pfalz-Grav zu Rhein ist zu recht Richter über den König/ und davon hat die Pfalz viel Ehr* Quod tamen de causa conventionis simplicis querelæ, non verò instantiâ appellationis exaudiendum. Neq; etiam ad Papam provocandum, si causa sit ardua. Imperator enim omnia jura in scrinio pectoris habere censetur, insuper quoq; judicia Imperatoris benè instructa novit Pontifex, quæ negotium, quamvis arduum, decidi possunt, ut non necessum sit, illud sede Papali subicere. Quid? quod causas seculares extra imperium Romanum non esse trahendas *Ordinat. Camer. P. 2. tit. 7.* asserat, adeoq; ut *Dn. Carpz. cum Minsingero* loquitur, ista consveduto, ut in profanis rebus arduis Papa appelletur, corruptelæ potiùs nomine digna est.

(b) Hic est, quem prisca ætas Cæsarem appellavit, *Tholosan. Syntagm. jur. lib. 15. in fin.* Et qui, vivo Imperatore, suc-

B 3

cessor

cessor in imperio ab Electoribus imperii electus est, ut sit perpetuus imperii Vicarius. Et mortuo Imperatore in nomen, dignitatem, auctoritatemq; Imperatoris succedit. Et hunc habere etiam jus extremæ provocationis negare non ausim, quia in omnibus Imperatorē se vicario nomine gerit, cujus est successor, & gesta ejus perinde ac Imperatoris valent, secundum *A.B.c.2. de Elect. Reg. Rom.*

(c) Hoc certum est, quod à sententiis Vicariorum appellari nequeat: Cum officio enim transit omne imperium & potestas. Conceditur iis plenaria potestas, vacante imperio, exercendi judicia, *A.B. cap. 5.*

(d) In genere olim hoc privilegium de non provocando omnibus Electoribus concessum fuit, uti apparet ex *A.B. tit. 11. vers. 3.* *zue einem andern Gerichte zu appelliren keinesweges gebühren noch frey stehen soll.* Perdiderunt tamen idem contrario usu reliqui Electores, exceptis Serenissimis Saxonix & Brandenburgico Electoribus, dum non utendo sese indignos reddidere, *Dn. Carpz. in Capitul. Cesar. c. 9. n. 14. Arnisl. 2. de J. M. c. 2. n. 3.* Ita tamen comparatum est, ut Electores Ecclesiastici & Palatinus, licet à se appellari permittant, usq; ad certam summam, salvo tamen ipsorum privilegio agant; *Jedoch Unser Churfürstl. Freyheit und Gerechtigkeitt/ damit doch sonst ganz unbegeben/ ut apparet in Churfürstl. Mayntz: Hoff Gerichts Ordnung/ Tit. von welchem Urtheyle appelliret werden soll/* cujus verba refert *Limneus lib. 3. de J. P. c. 5. n. 7.* Conditionale tantum privilegium, certæ summæ nempe, retinere, quæ Electori Moguntino 400. flor. Treverensi. 500. aur. Rehn. Coloniensi 500. aur. Rehn. Palatino 1000. flor. in auro. Et hæc summa 1000. flor. aureor. ad utrumq; Palatinatum Rheni Bavarix tam superioris, quam inferioris pertinet, im **Obern und Untern**

Intern Fürstenthumb der Pfalz am Rhein und Bayern Ober Hoff-Gericht.

(e) De Serenissimo nostro Electore Saxonie minus dubii res habet: Concedunt enim uno ore omnes Dd., ipsum semper jus de non provocando inconcussum retinuisse, cujus obtinendi, vel obtenti, ratio non tam ponenda est in ignorantia juris Saxonici, quod nempe Saxo defensor sit singularis constitutus juris Saxonici, quam in magnificentia Electoralium judiciorum, justitiaque legitima ordinatione & administratione, scil. quod in terris suis Saxonis propter diversa judicia hinc inde instituta, justitia non aliter administratur, quam in ipsa Camera, vel Aula Imperiali, ac propterea eorum edicta sancta & inviolata custodienda & servanda edixit Andr. Knichen in Com. ad Jus Saxon. verb. Privilegium, cap. Unico, prout etiam elegantissime pro more suo hoc latius deducit Dn. Carpz. ad L. Reg. Germ. c. 9. sect. 3. n. 10. & seqq. Non tantum vero hoc peculiare est Electori Saxonie, verum etiam toti illustrissimae Domui Saxonicae, quod ab ea non liceat appellare propter generalitatem A. B. tit. 11. & imprimis ex privilegio Sigismundi de An. 1423. Maximiliani de An. 1497. Ita quoque expressum est in privilegio Ferdinandi I. de An. 1555. Ihrer aller Leibes-Erben und den ganzen Stamm und Hause zu Sachsen/ Vid. Dn. Carpz. ad L. Reg. Germ. c. 9. sect. 7.

(f) De Electore Brandenburgico idem, quod de reliquis dictum, dicendum. Quod autem Petrus Heigius quaest. 4. n. 32. scribat, hunc quondam privilegium de non appellando amisisse, ac postea per singularem concessionem ab Imperatore Rudolpho II. denuo recuperasse, id disertè repugnat verbis Rudolphi II. in privilegio, Johanni Georgio, Electori Brandenburgico Ann. 1586. d. 24. Jul. Praga dato: Inter alia



ter alia siquidem ita dicit: über 100. und mehr Jahren / und also weit über Menschen-Gedencken eingeführet / hergebracht / und behalten wollen / daß niemand von des Churfürsten zu Brandenburg Urtheil / decreten, erkantnissen und Abschieden zu appelliren macht habe. Itaq; privilegium de non appellando quoad Electorem Brandenburgicum Imperator saltem renovavit.

THESIS V.

Eandem prærogativam, ut provocare à latâ sententiâ non liceat, obtinuerunt etiam Camera Imperialis, ^(a) Archiduces Austriæ, ^(b) Dux Lotharingiæ, ^(c) nec non per nuperam pacificationem Osnabrugensem Rex Sveciæ ratione Pomerani, Bremensis & Verdensis Ducatum, cæterarumque provinciarum ^(d)

^(a) *Ord.*

(a) *Ord. Cameral. P. 3. tit. 51.* quæ ipsum Imperatorem repræsentat, vice sacrâ judicat, summîq; Principis dicitur Consistorium, imò etiam rescripta & decreta Cameralia sub nomine & sigillo Imperatoris expediuntur, confirmantur ac definiuntur; idq; eò magis, quia cum Imperatore concurrentem habet jurisdictionem, *Gail lib. 1. observ. 46.* Unde omnia, quæ de eâ dicuntur, non abdicativè & privativè, sed cumulativè intelliguntur. An autem lites, in Camerâ pendentes, evocare ad se possit Imperator, controvertitur inter *Limneum lib. 9. J. P. c. 2. n. 60. & seqq. & Berlich decis. aur. c. 158. n. 9.* Nostrum autem non est, arbitrium & decisionem interponere, nec fortasse hujus loci.

(b) Hoc privilegium habent ex *Constitutione Friderici I. & II.* daß von ihnen an einen Römischen Keyser und König nacher des Reichs Cammer-Gericht/oder ander Gericht nicht appelliret /noch suppliciret werden könne. Et ex *constit. Caroli V. von Gerechtigkeit des Hauses Osterreichs.* Contra quod tamen sæpe acerrimè decertatum testatur *Ruland. de Commis. lib. 4. c. 4. n. 24.*

(c) Ex *transactione Norinbergensi de Ann. 1542.* de quâ vid. *Limn. l. 5. J. P. c. 2. n. 35.*

(d) Hoc privilegium verò hæc lege est concessum, ut summum aliquod tribunal commodo in Germaniæ loco Rex Sveciæ constituat, eiq; idoneas præficiat personas, quæ jus dicant, secundum constitutiones imperii, & cujusq; loci statuta, absq; ulteriori provocatione administrant, uti habent *verba Pacificat. Osnabrug. c. 10.* Cui Pacificationi satisfecit Rex Sveciæ, & supremum Appellationis tribunal Wismariæ constituit.

C THES.

THESIS VI.

Hæc omnia tamen, quæ hactenus de jure non provocando, Electoribus & reliquis competente, diximus, admittunt limitationem quandam, quòd utiq; liceat provocare, in casu scil. denegatæ justitiæ.

Neg; enim generaliter hoc jus intelligendum est, quin subditis in causâ denegatæ justitiæ saltem supplicare & Imperatoris, vel Camera, auxilium implorare liceat, referente *Dn. Carpzovio*. Ita enim expressè dispositum est in *d. c. II. A. B. In defectu verò justitiæ, predictis omnibus, ad Imperialem duntaxat Curiam & Tribunal, seu judicis immediatè in Curia Imperiali pro tempore presidentis audientiam, & etiam eo casu non ad quemvis alium judicem, seu ordinarium, seu delegatum, his, quibus denegata fuerit justitia, liceat appellare*. Denegatur autem non statim justitia, si differatur per negligentiam Magistratûs sive in cognoscendo, sive in exequendo adversus subditos suos, sed quando prorsus denegatur, & hoc casu potest appellari, aliàs à neglectâ, vel dilatâ, justitiâ non appellatur; quia aliquis adhuc habet remedium adeundi judicem superiorem, ut cogat inferiorem ad justitiâ administrandam. Vid. *Knichen c. II. de denegat. justit.*

THES

THESIS VII.

Extrema autem Provocatio
versatur circa sententiam inferi-
oris judicis.

Quamvis enim & inferior judex circumdatos sibi ha-
beat legum cancellos, & potestatem à constituyente ferendæ
sententiæ accipiat; evenit tamen sæpenumerò, ut tum ipsæ
leges perversæ & alienæ interpretationi subjaceant, vel, quòd
judex rerum minus peritus legum perplexitates, circum-
stantiarum multiplices diversitates, causidicorum quoq; figu-
ratas perversitates ex asse decidere non possit, vel etiã, quòd
affectu aliquo circa alteram partem litigantium occupatus
existat. Quibus impeditis justè pronunciare non potest. Un-
de id, quod circa sententiam latam ab inferiore judice erra-
tum est, hoc pacto à superiore quodam corrigendum venit.

THESIS VIII.

Forma Provocationis extre-
mæ est vel Interna (a), vel Exter-
na. (b)

(a) Interna consistit in eo, quòd extrema Provocatio de-
beat dirigi ad eum, qui summam habet in Republ. potesta-
tem. Quid autem sit summa potestas, id cuilibet notorium
est: nempe, quæ *superiorem non agnoscit, adeò, ut actus ejus
alterius juri non subsint, neq; alterius voluntatis humana arbi-*

C 2

trio ir-



irriti possint reddi, juxta Grotium lib. 1. de J. B. G. P. c. 3. §. 7.
Non enim fingendi limites, intra quos arctanda hac pote-
stas. Si enim esset, vel fingeretur, cui actuum suorum red-
dere rationem teneretur Princeps, qui summa dici posset
Majestas & summum rerum judicium. Hujus est judicare
de omnibus, judicari à nemine. Tribunal instituit pro
subditâ sibi plebe, sed ad quod trahatur ipse, non habet, nec
leges sciunt. Itaque cum quis ad eum provocat, quem su-
periores esse putat, cum non sit, irrita est provocatio &
nulla. Unde & ab Imperatore ad Papam non posse pro-
vocari, certum est ex antea dictis. De formâ in super inter-
nâ provocationis etiam requiritur, ut debeat fieri gradatim,
à judice scilicet inferiori ad superiores proximum, nullo me-
dio intermisso, quorum si plures fuerint, unus post alium
adiri debet. Ita hodiè à civitatibus, vel aliis Magistratibus
inferioribus, ad Curiam Provinciam, postea ad Electorem
ipsum appellatur.

(b) Externa forma in determinandis circumstantiis versa-
tur, nempe quibus verborum formulis, quo temporis spa-
tio, voce an scripto &c. provocandum sit. Nam de jure
communi omnis appellatio coram judice fieri debet, aut
voce, aut libello ei dato. Quæ omnia cum sint juris merè
positivi, & pro diversitate civilium constitutionum in di-
versis Rebus publ. variare possint, in genere hic definiri
non possunt. Interim certum est, quòd olim in Republ. libe-
rà Romanâ plerumque apud acta post latam sententiam viva
voce, aut stante pede, statim, mit Lebendiger Stimme / auff
freyen fusse / provocabatur, dicendo: *Appello, vel Provoco.*
Talem formulam nobis suggerit Livius lib. 3. c. 56. in exem-
plo Appii, ibi: *Si indictâ causâ in vincula ducatur, iterum se
ad Tribunos plebis appellare, quòd si Tribuni plebis eodem fœ-
dere*

dere obligatos se fateantur, ait, se provocare ad populum. Apud eundem l. 8. c. 35. M. Fabius adversus vim, ut videri volebat, injustam Papirii Tribunos plebis appello & provoco ad populum. Et Seneca lib. 3. Controvers. Servus, qui Domino agrotanti, venenam petenti denegabat, quâ de causa iratus Dominus testamento caverat, ut crucifigeretur, ad Tribunos plebis & ipsam L. Corneliam de Veneficiis provocans, Lex, ait, te appello. In actis Apostolicis Paulus c. 25. v. 10. u. ad Tribunal Caesaris sto, Caesarem appello. Sin autem inter acta non appelletur, ad libellos appellatorios recurrebatur, quod sub Imperatoribus sæpius obtinuit, ad quos dandos certum tempus indulgebatur, & certa itidem præscribebatur formula, scil. ut scripti haberent, à quo dati essent, & adversus quem, & à quâ sententiâ. Verùm manum de tabulâ, ne extra limites vagari videamur; hæc enim propius forum & forensia spectant.

THESIS IX.

Provocatio ideò suscipitur, ut lata ab inferiore iudice sententia vel mutetur, vel certè tamen suspendatur ab executione.

Hujus enim alterutrius & illius quidem primariò obtinendi gratiâ ad superiorem potestatem provocat, quicunq; provocat, ut corrigatur, & in melius reformetur iniquè lata sententia. Et expedit insuper Reipubl. mutari &

C 3

rescin-

rescindi ea, quæ perperam judicata sunt, nec minus suspen-
di aliquantisper etiam, quæ rectè judicata sunt, ne ullâ in re
præcipitantiâ possit accusari. Quid? quòd venia quando-
que & gratia desideretur, quam Magistratus secundum le-
ges judicaturi dare non possunt. Unde necessariò ad eam,
quæ supra leges dominatur, potestatem recur-
rendum est, quæ sibi soli retinet jus in omnia,
quod accepit à Deo, cui sit

LAUS, HONOR ET PERENNIS GLORIA.

*S*emina Castalis mandasse fideliter agris,
Laboriosum sit licet,
Certa tamen spes messis adest. Si ita pergis id ipsum,
Quondam videbis ipsemet.

f.
Christian Klengel, D.

AD HUMANISSIMUM

DN. RESPONDENTEM,

disputationis, eruditè scriptæ, autorem.

Indolis egregiæ nostrâ studiosus in urbe
Conscendit fausto pulpita nostra pede.

Res sunt difficiles, quas nobis sistit & offert;

Ast hos conatus Pallas amica juvat.

De thesibus, Beccere, tuis promittere possum,

Te contra quosvis non malè posse loqui.

Plura

Plura docet teropus, si plures vixeris annos,
Addictus studiis Pieridumq; choro.
Cumæos vivas, voveo, feliciter annos,
Doctor & evadas notus ad astra poli.

Michael Wendelerus,
D. & Prof. Publ.



AUGUSTUS BECCERUS,
STOLPENSIS MISNICUS.

Αυγουστίνος Μισνίκος.

ECCE SPES ! MAGNUS SUBSIT JURISCONSULTUS.
Evolutio.

Ecce! quis hic, quod Spes subsit, non dicere vellet?
Jurisconsultus magnus ut Hicce fiet.

Honoris, Amoris & Boni ominis ergo
BECCERO suo æstumatissimo
f.

M. Christianus Faselus,
S S. Theol. Cult.

Hactenus eximio Te dilexisse Minervam
Vidimus affectu; Fautor amande mibi.
Nunc publicè sistis studium, testaris amorem,
Impete quem fausto mens Tua casta fovet.
Perge, velut pergis, sic infervire Minervæ
Certaq; fervoris reddere signa Tui.
Accipies (haut falsa loquor, mihi crede) Coronam
Auri quæ superat nobilioris opes.

Hoc ipso BECCERO SUO AMANDISSIMO,
tenerrimum, quem erga bonas literas fovet,
affectum, nec non specimen, ejus gratiâ pu-
blicâ exhibitum disputatione, gratulatur

αὐτοῦ ἑταίρου
M. JOH. ERN. Hering.



In dem der Jugend-Blüth und wolbequeme Stunden
 Dein Fleiß sich Mühe macht / und numehr zeigt an/
 Was er vermögent ist / und was er tragen kan/
 Hat er sich von dem Recht zu reden unterwunden/
 Worauff sich der Berufte / der gleichsam hart gebunden
 Den Spruch gehöret hat / doch linderen Bescheid
 Ihm zuerhalten traut bey hoher Obrigkeit.
 So wünsch' ich / Bruder / Glück / zum Preis den du gefunden.
 zu Bezeugung sonderbahrer Freundschaft setze dieses
 auff / des Herrn Respondenten vertrauter Freund
 Otto Heinrich Pflugk /
 Nob. Misn.

So wie das Feuer pflegt stets in die HbH zu steigen /
 Und sich nicht bergen kan : schwingt sich dein cyfrig
 Geist /
 Der bey der Jugend Röth der weisheit sich befließt /
 Wil deiner Tugend licht durch weise Sprüche zeigen.
 Die klare Wahrheit wird vom strengen Recht erschen /
 Das höhern Richter sucht ; es trägt dein munter Sinn /
 Bey Seinem steten Fleiß die Ehre zum Gewinn /
 Ich wünsche Glück zu dem / und was noch wird geschehen.
 Dieses setzet seinem Vertrauen schuldigst
 Hans Curde von Bodenhausen /
 Ad Eq. Brunsv.

Doctissimum
 74. 828. 145.
 DNM. AUGUSTUM BECKERN.

AVDentes FortVna IVVat : SIC ItVr aD astra ;
 SIC CresCet VIVaX, sI CqVè VIrefCet honos.
 JOHANN. SIGISM. GERLACHIUS,
 Dresdâ Misn. SS. Theol. Stnd.

I N I S.






ULB Halle
005 122 49X


3



V. 17







Q. D. B. V.

90
XIII.
523
M

EXTREMA

17
19

PROVOCATIONE,

Athènis Leucoreis,

Sub Præsidio

VIRI

Plurimum Reverendi, Amplissimi atq; Excellentissimi,

DN. MICHAELIS WENDELERI,

SS. Theolog. Doctoris, ejusdemq; Professoris

Publici Extra-ordinarii, & Philosophiæ Pra-

ctica Ordinariiceleberrimi, Præceptoris atq;

Patroni suidebitâ observantiâ prosequendi,

publicè respondebit


AUGUSTUS Becker/

Stolpensis,

A U T O R

Ad diem 25. Januarij.

In Audit. Majori, hor. matut. cl. Is C. LXII.



Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typographi.

